



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CCI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

eandem sententiam confirmet; vel denique, quod consultius & iustius erit, ut utrumque faciat, ad illum finem, ut in omnem eventum hæc secunda sententia numerum sententiarum faciat. Et sanè si res postularet, evidenter demonstrari posset iustitia dictæ primæ sententiæ: sed quoniam desertio ulteriori cognitioni præiudicium facit, ab eo labore abstinemus.

De Appellationibus.

SUMMARIVM.

Nullitas sententiæ & Appellationis desertio.

1. Nullitatis causa an coniunctim cum causa principali cognosci possit.
2. Appellationis desertio Iudex tenetur causam remittere ad Iudicem à quo, cum ab interlocutoria est appellatum.
3. Clausula, cum toto negotio principali, in rescripto quomodo accipiat.
4. Appellationis ab interlocutoria causam Papa committere potest, ita ut non fiat remissio ad Iudicem à quo.
5. Iurisdictio delegata semel extincta non prorogatur.
6. Procurator iurisdictionem prorogare non potest sine speciali mandato.
7. Desertio non tollit causam nullitatis.
8. Desertio per Papam vel Principem tolli potest.
9. In iustitia sententiæ evidens operatur nullitatem.
10. Resistitio quando etiam post quadriennium datur.
11. Incertitudo vitiat sententiam.
12. Sententia nulla rectè etiam dicitur iniusta.

CONSILIVM CCI.

VARIÆ incidunt quaestiones in ea instantia, quæ nunc coram Reverendo Domino Vicario Episcopi Leodiensis pendet inter Annam relictam Theodorici de Gemeppia & Baltazarem N. quæ tamen parum adjuvant veritatem pacti antenuptialis, quod Baltazar preterit.

Primo quaeritur, an separatim vel conjunctim cognosci & iudicari debeat tam super objecta nullitatis sententiæ, à qua provocatum est, quam super causa principali? Ad quam paucis respondemus, ex sententia Bartoli, quem in eo sequuntur omnes, in l. 1. nu. 8. C. Quando provocare non est necesse & in l. Si expressum nu. 7. de appellationib. conjunctionem illorum utique admitti, tam in interpositione appellationis, quam illius prosecutione, ac sententiæ pronuntiatione, tunc cum ex ea non consurgit conjunctorum aliqua contrarietas; ut est in proposito casu, quo sententia Decani S. Dionysii arguitur nulla & iniusta; ut prius pro parte Baltazaris idem objectum fuit sententiæ, quam Decanus sanctæ Crucis secundum præfatum Baltazarem pronuntiavit; potissimum cum articulus nullitatis ex causa desertionis altiore habeat indaginem, & dilquisitionem, & ipsa iniustitia causæ nullitati actorum vel præponderet, vel par sit, Rota decis. 434. Nota utrum primo in fine quæ est 29. sub. tit. De sentent. & re ind. in antiq. Sic quod in ipsa iniustitia causæ, sententiæ quoque consistat nullitas; quod in hac causa contingere paulò post demonstrabimus, ita ut quemadmodum præfatus

Dominus Vicarius rectè utrumque ad cognitionem admisit, quamvis sub hac cautione, salvo iure impertinentium, & non admittendorum; ita quoque de utroque cognoscere possit, & ex eo quod præponderat causam definire.

Secundò quaeritur, an Dominus Ioannes Wyngarden, cui Baltazar interposita appellatione à decreto Domini Officialis Leodiensis reijcicente certos quosdam præfati Baltazaris articulos, causam per rescriptum Apostolicum committi obtinuerat, post sententiam suam, per quam declaravit appellationem Baltazaris esse injustam, confirmato præfati Domini Officialis decreto, de principali causa quoque potuerit cognoscere, vel virtute delegationis Apostolicæ, vel ex prorogatione procuratorum? Quæ difficilem quoque non habet resolutionem. † Est enim juris dispositio in eo articulo clara, quòd, cum ante sententiam à gravamine appellatur, Iudex appellationis, qui pronuntiat bene iudicatum, & malè appellatum, teneatur de juris rigore causam seu principale negotium remittere ad Iudicem, à quo provocatum fuit, c. Vi debitas De appell. c. Romana §. ult. De appellat. lib. 6. etiam tunc cum per rescriptum Apostolicum alicui causa appellationis à gravamine commissa est, cum toto negotio principali; † quia hæc adiectio tacitam in se habet conditionem juris, ut scilicet tunc negotium principale censeatur commissum, si iusta pronuntiat appellatione, Lud. Rom. consil. 362. Quoad primum nu. 2. Decius ad d. c. Vi debitas nu. 7. Felin. in c. Causam quæ nu. 2. De rescript. Idque etiam si Auditori Rotæ Romanæ causa sic committatur, Lud. Rom. d. nu. 2. Rota decis. 237. Voluerunt, quæ alias est 23. De rescript. in novis, quamvis in eo quidam variant, existimantes Auditori plus tribuendum esse; ob id, quòd causa in Auditorio Papæ pendere videatur, quæ illi commissæ est, & sic non facile à Papa ad inferiorem redeat, Rota decis. 11. Fuit dubitatum, quæ alias est 3. De appellat. in novis. Sed quamvis id de stylo curiæ observari dicatur, hoc tamen sententur omnes contra jus esse, d. decis. 11. vers. & hoc habet stylus licet de iure esset contrarium, Felin. in d. c. Causam quæ nu. 6. Ideoque ipsos Auditores Rotæ excedere non debet; imò plerique existimant, non obtinere nisi tunc, cum ab uno Auditore appellatione interposita, causa alteri Auditori committitur, Rota decis. 612. De quod ubi auditor, quæ est 63. De appellat. in antiq. Sic ut in proposito indubitatum sit causam omnino remittendam fuisse ad Officalem, quem credimus frivolæ appellationi à reiectione impertinentium articulorum non detulisse (non enim vidimus acta) nam eo casu remissio necessaria non est, c. Cum appellationibus De appellat. lib. 6. * Non negamus tamen, quin per Pontificem causa ita committi possit, ut etiam confirmata sententia, à qua provocatum est, delegatus quoque de negotio principali cognoscat; sed id dependet ex tenore rescripti, quod non vidimus. Cum itaque Dominus ab Wyngarden iudicando malè appellatum functus fuerit suo officio, & Iudex esset deficiit, c. cum super, sub finem De offic. & potest ind. deleg. & negotij principalis notionem aut cognitionem

nem non habuit, nisi in eventum legitimæ appellationis; consequens est, sententiam postea latam tamquam ab incompetente iudice latam, nullius momenti esse.

Quam non confirmat aut validam efficit prorogatio vel ulteriorem processum coram eo in negotio principali: nam quamvis iurisdicção delegati inter easdem personas de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum, plerumque prorogari possit, c. *De causis*, c. *Cum olim de offic. iud. deleg. c. statutum* §. in nullo de rescriptis, in 6. quamdiu fiat delegata illius iurisdicção: non idem tamen obtinet ea extincta; quod sit per pronuntiationem sententiæ super articulo ei commissio, l. *Privatorum* C. *De iurisd. omnium iudic. l. 1. C. de iudic.* quia officio suo functus est, & prout loco constituitur, nec iurisdicçãoem ullam habet, ideoque nec prorogatio fieri potest, & ut fieri potuisset, facta tamen non censetur: quia de dicti Theodorici, aut Annæ ejus uxoris prorogatione aut eorum mandato ad prorogandum non constat: * per principales enim personas facienda est prorogatio, aut ex eorum speciali mandato per alium, seu alios, non autem per procuratorem simpliciter constitutum, Innocent. in d. c. *De causis*, Panor. in d. c. *Cum olim*, Socinus in c. *Significasti* nu. 20. *De foro compet.*

Neque verò pro prorogatione aut prorogationis factæ conformatione seu ratificatione accipi potest mandatum seu procuratorium, quod lite super principali coram dicto Domino Wyngarden introducta & pendente, mortuo Theodorico de Gemeppia Annæ marito, Anna dedit: id enim ex tenore verborum sic restrictum fuisse proponitur, ut vim prorogationis habere nequeat, ad resumendum scilicet causam in eo statu, quo erat tempore vitæ ac mortis Theodorici de Gemeppia sui mariti: quo sane tempore dici non poterat per eum aut de ejus mandato prorogata iurisdicção præfati Domini Wyngarden, quoad negotium principale. Cum aliqui prorogationem impediatur error prorogantium; l. *si per errorem* *De iurisd. omnium iud. l. 2. in princ. D. De iudic.* qui procul dubio in hujusmodi generali mandato de resumenda causa constitui debet, in muliere id faciente. Sic itaque constituta nullitate sententiæ, per quam Dominus Wyngarden sine iurisdicçãoe cognoscendo de principali negotio, pronuntiavit conventiones antenuptiales coram iustitia Cynacensi probatas, esse validas, consequitur, quod ex illa nihil commodi referre possit Baltazar, frustra que disputeretur de desertione appellationis, quam Anna ab eadem sententia interposuit. Neque enim dici potest illi robur aliquod accessisse, vel ex appellatione, vel ex declaratione desertionis ejusdem appellationis, quam Decanus Sancti Dionysii in quarta instantia fecit, revocata sententia Decani sanctæ Crucis, per quam revocata erat præfacta sententia per Dominum Wyngarden lata; cum illi quod nullum est nihil possit accedere, nihil ad robur adijci, l. *Objectiones de obligat. & action. vult. in l. Tale pactum* §. qui provocavit de pactis.

Cum ergo nulla fuerit sententia per Dominum Wyngarden lata, nulla opus erat appellatione, aut

Conf. Wamf. Tom. 1.

provocatione ab eadem, & quatenus ex superabundanti interposita fuit, vitium nullitatis non expurgavit, & per consequens ex illius desertione conformari aut in rem judicatam transire non potuit. Desertæ quippe appellatione, remanet adhuc effectus nullitatis illius, qui non potest tolli per sequentem desertionem appellationis, eleganter Bald. in l. 1. nu. 132 C. *Quando provoc. non est* necesse & in d. §. qui provocavit; præsertim si à confirmatoria primæ sententiæ, quæ nulla dicitur, est appellatum; sic quod illa non possit dici transisse in rem judicatam, Angel. in l. 2. nu. 7. vers. *se primo saluti in fine* p. si quis in ius vocat non terit, Paul. Paris. consil. 107. Non obstat nu. 7. vol. 4. propter appellationem interpositam à sententia Decani Sancti Dionysii. Itaque dici non potest extare ullam dictæ sententiæ per Wyngarden latæ approbationem, quæ in desertionem superflua minimeque necessaria appellationis constitui nequit: ut merito audiri non debeat Baltazar ad illius patrociniū confugiens, si ex desertionis causa fuisse vere velit sententiam per Dominum Decanum Sanctæ Crucis latam: Cujus dicendi proclivior est occasio ob Pontificias constitutiones, ac rescripta derogantia & tollentia ejusmodi desertionem, in casum iustitiæ in causa & articulo negotij principali. † Et si enim per desertionem parti appellatæ jus acquiratur, quia sic sententia transit in rem judicatam, l. ult. §. *illud* vers. *si per eum fuerit* C. *De temp. appellat.* ita ut ne quidem per rescriptum Principis reparari, & causa ad cognitionem iterum trahi queat, l. *Nemo* c. *eod. tit. l. 2. C. Vi lite pendente* & c. potest tamen id facere Papa aut Princeps, si velit, & evidens sit eorum voluntas, quod id voluerint, non tantum in minore, verum etiam in majore, propter Papæ & Principis majorem potestatem, Innocent. in c. *Ex literis* *De rescript. in integ. Guido Papa decis. 185.* potissimum si ex causa aliqua id faciant, Panor. in d. c. *Ex literis*, nu. 11. ut est in proposito, tum propter incidentem mortem Theodorici de Gemeppia, atque Annæ de Mafbergh, tum ob pupillarem minoremque ætatem Catharinæ; tum denique propter notoriam incapacitatem dicti Baltazaris. Cujus quidem notoriæ incapacitatis consideratio operatur secundum dictæ sententiæ, quam Dominus Wyngarden in principali negotio tulit, nullitatis vitium: ita ut concurrat hic duplex nullitas, ex defectu iurisdicçãois, quæ insanabilis est, & ex nimia iniquitate. † Evidens siquidem & nimia iniquitas, quæ ex actorum primo aspectu vel inspectione deprehenditur, nullitatem sententiæ operatur, c. *Inter ceteras* *De sent. & re iudic. Steph. Bevirand. consil. 222. Visis processu* nu. 4. vol. 7. & executioni etiam trium conformium sententiarum obijci potest; non tantum si iniquitatis causa in sententia expressa sit, verum etiam si expressa non sit, si modo ad æquum demonstrari possit, doct. in Clem. *Ut calumnijs de sentent. & re iudic.* ut in proposito potest demonstrari Baltazaris spuriestate, quam ipse Baltazar in actis sapienter confessus est, relin. in d. c. *Inter ceteras* nu. 10. Cui confessioni accommodata juris dispositio, quæ spurium paternorum bonorum incapacem facit, hanc notorietatem & manifestam injustitiam

li 3 omnino

omnino operatur; non aliter quam si confiteretur sententiam esse injustam, quæ omnino retractari, seu nulla declarari debet, *Felin. in d. c. Inter ceteras nu. 11. vers. Cum his adde.* Quare magnopere curandum non est, quod in rescripto restitutorio seu reparatorio adversus desertionem ex causa hujus spurietatis subiecta sit hæc clausula, *Prout de iure.* Nam concessio (non enim vidimus rescriptum) quod illa tamquam finalis ad omnia præcedentia ex æquo pertineat, ac referri debeat, ut plerumque fit, *l. Talis scriptura §. fin. & ibi DD. delegat. 1.* semper manet impedimentum, & vitium nullitatis ex notoria injustitia; cuius cognitio semper refricari potest, usque ad triginta annos, quantumvis adversus rem iudicatam non soleat dari reparatio audientis vel nova cognitio iudicatum enim dici non potest, quod nullitatis vitio laborat, *l. 4. §. condemnatum De re ind.*

10. Quæ consideratio hoc quoque efficit, ut quadriennij, quod restitutioni in integrum impetranda præscriptum est, *l. 1. de restit. in integ. l. ult. c. de tempor. restit. in integ.* ratio hic haberi non debeat; cuius ratio habetur in vera integri restitutione, quam etiam inferior, non tantum Princeps, concedere potest, *c. penult. de restit. in integ.* non perinde in reparatorio remedio, quod restitutioni in proposito conjunctum fuisse videtur; cuius solius potestatem Princeps secundum supradicta habet, sine temporis præfinitione. Cum alioqui in articulo tam reparationis, quam restitutionis in integrum omnem scrupulum amoveat Catharix interventus, quæ horum bonorum, de quibus controversatur, ex dissoluto matrimonio parentum suorum secundum communem patriæ consuetudinem Leodiensis, & locorum vicinorum effecta proprietaria, nullum damnum in ea pati potuit, vel debuit, ex negligentia matris; sic saltem, quin ei per restitutionem in integrum succurri potuerit intra quadriennium à completa ejus minore ætate: ante cuius quadriennij lapsum hæc restitutio petita proponitur. Atque ita uno ductu coherentes plures questiones satis solutæ sunt, *l. sicut & ibi gloss. in verb. servanda c. de præscript. 30. annor. l. Non est incognitum c. Quibus non obijc. long. temp. præscript. l. 1. c. si adversus usucapionem.*

11. Rectè quoque ad incertitudinem sententiæ per Dominum Wyngarden latæ obijcitur, quod per illam confirmantur conventiones antenuptiales Cenaci probatæ; cum & illæ probationes incertæ sint, neque in omnibus & per omnia convenient, & ut proponitur, pari numero inter se dissident, idæque inter se colliduntur nec fidem mereantur, quamdiu Iudex ad alteram partem testimoniorum meorum animi sui non accommodat, specificè declarando, quibus potius stet, & fidem adhibeat, *l. Ob carmen §. si testes de testib.* & dum declarat se approbare Cenaci probatas conventiones, non aliter in effectu facit, quam qui cum duos Titios habet, alterum se legare dicat, *l. Duo sunt Titij De testam. tutela;* certum autem est sententiam ratione incertitudinis nullam reddi, *l. 3. & 4. c. De sent. quæ sine cer. quant. tit. profer.* Et hoc ita quidem, si aliunde ex actus deprehendi non possit, quod Iudex de illis senserit, quæ pro Baltazare itant, *d. l. 2. c. De sent. quæ sine certa quant. prof.* quod vel ex eo præ-

fumi ac colligi posset, si sic concepta esset sententia, ut secundum Baltazarem iudicatum dicendum sit; veluti si Anna in expensis litis condemnata sit.

Quod quæritur ulterius, an non ob id nulla quoque dici possit sententia Decani Sanctæ Crucis, quod pronuntiaverit sententiam per Dominum Wyngarden latam esse nullam, & iniquam, quasi contrarietatem implicet, *Alex. consil. 49. In causa & lite nu. 3. vol. 7.* difficultatem non habet: nam cum nullitatis, & iniquitatis accumulatio de iure admittatur, ut ante diximus, *Bart. in l. si expressum de appellat.* utriusque potestatem in iudicando habet Iudex etiam conjunctum; præsertim cum ex notoria iniquitate sententia dicitur nulla, non tantum ex defectu jurisdictionis; * quia, ut rectè dixit 12 Baldus, *in l. eos nu. 10. vers. poterit etiam pronuntiare super utroque c. de appellat.* omnis sententia, quæ nulla est, rectè etiam dicitur iniqua. Propter quam Baldi considerationem Marcus Ant. Natta, *Consil. 211. Reverende Pater nu. 1.* ex cuius responso hæc difficultas movetur, non audent in eo consistere, quod repugnantia, & nullitas sententiæ constitui possit, si Iudex conjunctim dicat sententiam nullam & iniquam. Et hæc quidem secundum proposita.

De Appellationibus.

SUMMARYM.

De nullitate vel iniquitate sententiæ an cognoscat executor.

1. Executor vel alius Iudex non cognoscit de sententiæ cuius executio petitur.
2. Sententia ius facit inter litigantes.
3. Executor dubitans de sententiæ, causam remittit ad eum, qui iudicavit.
4. Qualitate quæ quis in principio litis egit, eadem condemnatus præsumitur.
5. Officiarius calumniose agens condemnatur in expensis etiam proprio nomine.
6. Sententia quando non sit libello conformis.

CONSILIUM CCII.

RECTE & ordine Magnificus Dominus Rector decima quinta Septembris novissimè præteriti, statim & sine ulla cunctatione, pro juris subsidio requisitus, suo Promotori mandavit executionem, per litteras Magistratus oppidi Lovanienfis, pro parte Ioannis vander Bielt, adversus Magistrum Antonium Vanney requisitam, nulla etiam abhibita cognitione quoad validitatem sententiæ, cuius executio petebatur: uti constat ex notoriali annotatione dictis literis requisitorialis subiecta. † Postular enim juris aperta dispositio, & civilitatis humanitatisque ratio, ut Iudex condemnati alicujus requisitus ab alio Iudice, qui condemnavit, officium suum in facienda executione sententiæ adversus condemnatum exhibere debeat: & quidem promptè & statim sine ulla alia cognitione super validitate vel invaliditate latæ sententiæ, cuius executio requiritur, *c. pastoralis §. quia vero de off. Iudic. delegati.* Potissimum tunc, cum requisitus Iudex iniurisdictione requirentis non est superior, Guido Pape *decis. 574.* sed vel inferior; vel sine ulla subalternatione